

& ipsorum corporum similiter determinatos sermones in singulis capitulis veraciter exposuimus, & secundum sententiam eorum, qui intima naturæ videre potuerunt, & secundum nostram, qui ad ea peruenimus cum instantia laboris. Nunc vero secundum quod inuenimus, expedit huius artis defectum supplere, & principia omnia huius magisterij tradere in nostri vltima sermonis parte, & perfectionem quam vidimus secundum eius exigentiam cum causis suis monstrare.

LIBER SECVNDVS

De principijs huius magisterij & perfectione eiusdem.

Caput. xxxix.

Sunt duo que determinanda sunt. Principia scilicet huius magisterij, et perfectio eiusdem. Sunt itaque huius artis principia modi operationum ipsius, quibus applicatur artifex ad hoc magisterium. Qui quidem ad se invicem sunt diuersi. Est enim vnus modus sublimatio, & descensio alter, et vnus etiam distillatio, et vnus ex modis est calcinatio, & alius solutio, & alius coagulatio. Septimus vero modus est fixatio. Octauus vero ceratio. De quibus singulis singulam narrationem faciemus. Perfectio consistit ex consideratione rerum, quibus p

uenitur ad eam, & ex conditione rerum iuuantium, & ex consideratione ipsius usrei quæ vltimo perficit, & ex qua cognoscitur, si in perfectione fuerit magisterium, vel non. Consideratio eorum quibus peruenitur ad operis complementum, est consideratio substantiæ manifeste, & colorum manifestorum, & ponderis in vnoquoque corporum mutandorum, & que non mutanda sunt ex radice sue nature absque illo artificio, & consideratio illorum similiter in radice sua cum artificio, et consideratio principiorum corporum secundum suum profundum occultum & manifestum, secundum naturam suam, sine artificio, & eorum similiter cum artificio. Quoniam si non cognoscerentur corpora & illorum principia in profundo sue nature & manifesto, cum artificio, & sine, nesciretur quod superfluum in eis, & quod diminutum, qua ratione necesse foret nos nunquam ad perfectionem transformationis illorum peruenire. Consideratio autem rerum iuuantium in perfectionem, est consideratio naturarum illarum rerum, quæ corporibus sine artificio videmus adherere & mutationem facere. Et sunt Marchesita, Magnesia, Tutia, Antimonium, & lapis lazuli, & consideratio eorum quæ sine adherentia corpora mundificant, & sunt scilicet sal & alumina, nitra & boracia, et que sue nature sunt, atque consideratio vitrificationis mundantis per consimilem naturam.

¶